#

## APOLLO.

Vestros oculos, A. omnium ordinum Honoratissimi, vestros, inquam, oculos acerrime in me conspicio intentos, vestros animos tacite secum audio reputantes, quis scil. et quenam sim, unde veniam, quae mea futura sit expeditio. Agite! attentas mihi praebere aures ne dedignemini, aperiam vobis vestroq; desiderio satisfaciam. Desideratis nomen? Apollo vocor. Quam variae mihi sint potestates, e quibus diversa fluant cognomenta, orbi literario haud esse ignotum firmiter mihi persuasum habeo. Ideoq; superforanei laboris esse ducerem, illa jam auribus propinare vestris, nisi genius meus, nescio quo insolito more, animum vellet, ut aperirem ipse, ut meis exprimerem verbis. Esto:

Juppiter est genitor, per me quod eritq; fuitq;
Estq; patet: per me concordant carmina nervis,
Inventum Medicina meum est, opiferq; per orbem
Dicor, et herbarum subjecta potentia nobis.

Auditisne, quod primus omnium Medicinam excoluerim? quod in aegrotum corpus properantes morbos repulerim? Sic est, corpora quaelibet cura mea tueri valeo. Insuper Deum me quoq; aspiciatis Vatem. Etenim futuros rerum eventus significo, quae tempora quae fata mortales maneant praedico, quaeq; in abditissimis occulta latent latebris, aperio. Sum ille Musagetes, carminum inventor, Musices autor. Et quid ulterius in his commemorandis immoror? illud et percipiatis, quod maximum ad nominis mei facit gloriam, quod illi tantum, quantum magnus ille mundi oculus luxi, addit splendoris. Musarum Praeses sum, Artium liberalium parens. Praesentiam vero meam, quod jam oculis objecerim vestris, ea factum de causa, ut Musas, quas mihi indissolubili amicitiae vinculo esse connexas, mecum nostis omnes ac singuli, huc accerserem, quibus praesentibus comitia, non quidem centuriata, non tributa, non calata, non praetoria, sed de rebus aliquot instituerem deliberatoria. Sorores, in medium prodite, sistite vos lectissimae Auditorum Lectissimorum coronae, haurite alacribus ea, quae ut vobis in memoriam revocem, dignissima. Primum quidem sciatis, me ex Germania huc duxisse iter, quae variarum Provinciarum earundemq; vastissimarum copia, urbium amplissimarum munitissimarumq; pulchritudine, Soli uberrima fertilitate atq; felicitate, virorum denique, qui tanquam sidera et faces inclarescunt, aeternamq; sui nominis memoriam cum perillune Solisq; spaciis definiunt, multitudine caeteris regnis, caeteris regionibus, multis, quod dicitur, praecurrit parasangis. Haec haec nobilissima Germania nutrix bonarum artium est salutanda, haec munera largiflua grato bonis artibus offert animo, haec Eruditionem amat, in qua sicut Laurus